



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 29. Quædam Innocentii XII. Pontificis Constitutiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

lici regimen sibi a Carolo Hispaniarum Sæc. XVII.  
 Rege delatum tandem capefferat, Ma- A. C. 1692.  
 ria Antonia ejus Conjux, ac Leopoldi  
 Imperatoris Filia die vigesima octava  
 Septembris Filium enixa est, non sine  
 incredibili utriusque Aulæ gaudio,  
 quod tamen brevi in luctum verteba-  
 tur; paulopost enim die vigesima octava  
 Novembris hic Filius, & die vigesima  
 quarta Decembris ipsa Mater nonnisi  
 annos viginti tres nata decessit. Hanc  
 morte sequebatur Lipsiæ die decima  
 Maij anno ætatis trigesimo tertio Al-  
 bertus Augusti Saxonix Ducis Filius,  
 postquam antea ad fidem Catholicam  
 reversus esset. Denique vivis erepta  
 est Margaretha Estensis Alphonfi Mu-  
 tinensis Ducis Filia, ac Ferdinandi  
 Gonzagæ III. Guastallæ Ducis Conjux.

§. XXIX.

*Quædam Innocentii XII. Pontificis  
 Constitutiones.*

Præter Bullam, qua Innocentius XII. Bull. Magn.  
 Pontifex Maximus Aulam Roma- Innoc. Const.  
 nam a Nepotismi labe expurgavit, in- 14. & seqq.  
 super die decima quarta Martii ab ex-  
 communicatione latæ sententiæ absol-  
 vit Superiores Generales Ord. S. Au-  
 gustini, qui contra Sixti V. Constitu-  
 tiones ab Alexandro VIII. subreptitie

Sæc. XVII. literas obtinuerunt, vi quarum sua  
 A. C. 1692. officia ultra præscriptum tempus pro-  
 rogare possent. Alia Constitutione  
 die tertia Septembris Pontifex, quan-  
 tum se extendat jurisdictio Majoris  
 Pœnitentiarii, definivit. Prohibuit e-  
 tiam die vigesima tertia Octobris, ne  
 deinceps quædam Curia Romanæ of-  
 ficia vendantur. Declaravit insuper,  
 quod quando sæculares in Regularium  
 Ecclesia sepulturam sibi eligunt, Pa-  
 rochi non plus Eleemosynæ exigant,  
 quam exegissent, si in Ecclesia Paro-  
 chiali sepulti fuissent, & ipsi quidem  
 e domo Cadaver ad Regularium Eccle-  
 siam comitentur, ibique ad januam  
 funus benedicant, hoc autem facto  
 non intrent Ecclesiam, sed officia fu-  
 neralia Regularibus relinquunt: ab  
 hæredibus tamen consuetam exigere  
 possint eleemosynam, quam percepis-  
 sent, si exequiæ in ipsorum Ecclesiis  
 fuissent celebratæ, die autem decima  
 Martii innovavit Constitutiones, qui-  
 bus superflua prohibentur expensæ in  
 vestitione & velatione Monialium: Ve-  
 tuit etiam Pontifex die vigesima Au-  
 gusti, ne in Ecclesiis sub Missa aliud  
 quam introitus, Graduale & offerto-  
 rium, atque in Vesperis antiphonæ  
 cantentur.